



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. De existentia intellectus in omni anima rationali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

SECTIO I.

*De existentia intellectus in omni anima
rationali.*

Idest utrum omne spirituale, sit necessario prædictum aliqua facultate intelligendi, quam esse difficillimam quæstionem asserit Augustinus lib. 12. de Genesi ad litteram, cap. 10. Definatur autem intellectus, *Potentia cognoscitiva entis ut ens est*: & intelligere, ut ait S. Thomas, est quasi intus legere, eo quod ipsam substantiam rerum veluti penetret.

Ratio ergo dubitandi est primò, quia non apparet implicantia, cur non possit fieri à Deo aliqua substantia spiritualis nullo prædita intellectu.

Secundò. Si non potest dari ens spirituale, quod non sit intellectuale, sequitur intellectuum oriri à spirituali: hoc est absurdum, quia intellectuum est differentia constitutiva rei; quod autem est differentia, non oritur ab alio priori, sed est aliquid primum in re: ergo dari potest ens immateriale, quod non sit intellectuale.

Tertiò. Dantur accidentia spiritualia, quæ non sint intellectiva: ergo possibilis etiam est substantia spiritualis non intellectiva.

Dicendum tamen est, substantiam omnem spiritualesse necessario intelligentem. Ita tenent cum S. Thomas *quæst. 2. de veris. art. 2.* Caietanus, Molina, Suares & Thomistæ omnes, contra Nominales & Aureolum.

Ratio S. Thomæ optima est, quia quidquid præter id quod est, potest fieri aliquo modo alia omnia, est immateriale: omnis substantia immaterialis, præter id quod est, fieri potest alia omnia: ergo est immaterialis. Maior ex eo pender principio generali, quòd principium cognoscens fiat obiectum illud quod cognoscitur, eo quod similitudinem eius expressam recipiat. Minorem probat S. Thomas, quia id quod caret principio determinante, & coarctante, potest fieri alia omnia: substantia quæ caret materia, caret omni principio coarctante ac determinante; materia enim coarctat: ergo substantia quæ caret materiâ, fieri potest alia omnia. Probat adhuc eadem minor, quia materia est pura potentia, & non est vlllo modo activa: ergo quò magis aliqua forma recedit à conditione materiæ, eò magis erit activa: substantia spiritualis maxime recedit à conditione materiæ: ergo est perfectissime activa; actio autem perfectissima est intellectio.

Ad primam respondeo, implicare substantiam immaterialem, quæ caret intellectu; quia natura activa debet posse agere circa obiectum sibi proportionatum: sed res immaterialis, si non sit intellectualis, non poterit agere circa obiectum sibi proportionatum, nempe circa rem spirituales, imò neque circa rem corpoream; non enim ager immanenter, cum omnis actio immanens spiritualis sit intra gradum intellectuum; nec transeunter, quia non est excogitabilis vlla qualitas, per quam agat; motum enim sine cognitione non potest imprimere: debet ergo esse intellectiva.

Ad secundam respondeo, intellectuum non oriri ab immaterialitate, sed tantum esse illi necessario coniunctum, ut rectè docet Capreolus in 1. dist. 35. quæst. 1. ad 1. arg. Aureoli. Quamquam dici etiam potest cum Suare, immaterialitatem esse causam virtuales intellectualitytis, quia differentia oriri potest à gradu aliquo generico, non potest oriri à gradu specifico.

A Ad tertiam respondeo esse discrimen substantiæ & accidentis; nam implicat accidens esse intelligens, cum intellectuale sit esse primam radicem operationum vitalium, atque adeò principium primum vitæ, & consequenter esse substantiam.

SECTIO II.

De obiecto intellectus.

Quia latissime patet obiectum intellectus, idèò considerandum primò est in communi, deinde secundum singulas suas partes, vniuersalia nimirum & singularia, materialia & immaterialia. Quod autem ulterius quæri posset, quomodo cognoscere possit omnia possibile, & futura, quomodo infinita, quomodo causas ipsas in effectibus, & effectus in causis; difficultates sunt theologice, de quibus plenè dixi tract. 1. & tract. 7. quia illa pertinent ad cognitionem supernaturalem.

§. I.

Quale sit obiectum adæquatum intellectus.

Ratio dubitandi primò est, quia non potest idem esse obiectum intellectus humani, & angelici: ens in communi, etiam propter est verum, est obiectum intellectus angelici: ergo non est obiectum intellectus humani. Maior patet, quia intellectus angelicus est diuersæ speciei ab humano, & est longè perfectior: ergo habet diuersum, & longè perfectius obiectum.

Secundò. Illud non est obiectum intellectus, quod est obiectum voluntatis: sed ens, quatenus verum, est obiectum voluntatis; verum enim auctur à voluntate, quia verum est, quia veritas est propter seipsam amabilis: ergo ens propter est verum, non est obiectum intellectus.

Tertiò intellectus cognoscit non entia, & entia rationis, quæ nec participant rationem entis, nec rationem veri: ergo non solum ens est obiectum intellectus.

Quartò, sicut potest dari aliquis intellectus, qui non sit cognoscitivus omnium entium, sed aliquorum dantaxat; sicut non quilibet sensus est perceptivus omnium rerum sensibilium: sic dari potest aliquis intellectus, qui non sit perceptivus omnium intelligibilium: ergo obiectum intellectus non est necessario quodlibet intelligibile.

Dico primò, adæquatum obiectum intellectus secundum se considerati esse ipsum ens in tota latitudine sua sumptum sub ratione veri & intelligibilis: entia verò rationis, & non entia, non spectare directè ad obiectum intellectus.

Prima pars assignat obiectum materiale intellectus, probarique potest inductione, quia cognoscimus ens increatum & creatum, entia materialia & immaterialia, possibile & existentia; & implicat dici aliquid quod intelligi non possit; si enim dicitur, iam intelligitur. Deinde veritas est passio entis communissime sumpti: sed veritas est intelligibilis: ergo intelligibilitas est passio cuiuslibet entis.

Secunda pars assignat obiectum formale intellectus, de quo satis dictum est prima disputatione, cum egi de specificatione potenciarum ab obiectis formalibus, non in ratione rei, sed in ratione obiecti; veritas enim, quæ obiectum est intellectus, non est ens ipsum propter attingi potest ab intellectu; sed est ipsum ens, quatenus habet vim mouendi intellectum ad intelligendum.